



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Vniversae Theologiae Speculativæ, Sacramentalis,  
& moralis**

**Petrus <a Sancto Josepho>**

**Coloniæ, 1648**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42284**



# AD LECTOREM.



*T* tibi, studiose Lector,  
Idearum nostrarum faci-  
lior sit usus, habes hic  
Theses non parum accu-  
ratas, universa doctrina Theologi-  
ca in iis contenta. Univerſe dico, non  
enim primarias tantum totius operis  
resolutiones exſcribo, ſed ſi quid  
præterea obſervatu dignum in pro-  
bationibus, aut argumentorum ſo-  
lutionibus occurrit, breviter attin-  
go. Unde id commodi ex hoc opuſcu-  
lo referes, ut privatim trium, aut  
quatuor horarum ſpatio recolere fa-  
cile poſſis, quæ non niſi magno labo-  
re, & plurium annorum curriculo  
in ſcholis comparâſti; imò quicquid  
ego ipſe per totos viginti annos ſtu-  
dendo,

## AD LECTOREM.


dendo, docendo, scribendo in Theologicis assequi potui. Nec queraris, quòd hæc Summaria ordine alphabetico non disposuerim, nam præterquam quòd in eiusmodi dispositione illud mihi semper displicuit, quòd quæ ad eandem omninò rem spectant, non omnia in eodem loco, sed plerumque in pluribus, valdeque distantibus exhibentur; non eo certe animo hæc scripsi, ut nudum rerum Theologicarum indicem traderem, quo solum notaretur qua pagina res qualibet tractetur: sed in eorum gratiam qui Theologiam nostram versant, unicam trium Idearum summam, & velut Ideolam, eomaximè consilio conficere statui, ut hanc sæpius volvendo, quæ in aliis paulò latius tractata habent, eorum memoria firmius infixæ hæreant. Hoc autem non assequerentur, nisi eundem

## AD LECTOREM.

dem ordinem, qui in ipsis Ideis servatus fuit, in hisce earum Thesibus observatum viderent: quin potius, si quæ in Idearum capite tractantur, ad calcem compendii rejicerem; & vice versa, si earum finis hujus esset principium, ut in indicibus fieri solet, ea materiarum confusio similem quandam in studiosorum animis specierum perturbationem pareret. Caterum et si in Idea Sacramentali, & Morali omnia fere quæ ad praxim fori pœnitentialis spectant, tractata sint; quia tamen innumeri summulam casuum, ut vocant, conscientia à nobis instantissime efflagitant, spondeo me brevi, si Deus votis annuerit, piis eorum postulatis satisfacturum. Superest, Lector, ut hoc qualicumque opusculo Theologico diu felix fruaris, & si quid præterea à tenuitate nostra expectas,

AD LECTOREM.

*meam valetudinem non tam annis  
quàm laboribus admodum debilita-  
tam, ac pene exhaustam, salutis hu-  
mane Authori supplex com-  
mendare non gra-  
veris.*



*Facul-*